



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De presbytero interfecto ad quem eius compositio pertineat. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ieiunet vsque ad vesperam, exceptis diebus festis atq; dominicis, arma non sumat, equum non ascendat, Ecclesiam per quinque annos non ingrediatur, sed ante fores Ecclesie stet. Post quinque annos Ecclesiam ingrediatur, nondum verò communicet, sed inter audientes stet. Quum autem fuerit duodecimi anni cursus finitus, communicandi ei licetia concedatur, & equitandi tribuatur remissio. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, vt perfectius purificari mereatur.

De presbyteris depositis, & sic occisis. Cap. IX.

Nunciatū est nobis, quod aliqui olim dixerūt seuisse sacerdotes, & postea degradati pro suis peccatis penitentiam agendo, suffragia sanctorum per diuersa loca transeuntis quaesierunt, trucidati sint: Huiuscemodi interfecto-ribus omnem ecclesiasticam dignitatem denegamus, donec dignam penitentiam pro reatu suo secundum iudicium episcoporum exoluant: quia grauius aliis homicidis penitere debent.

*Ex cōcil. Turoni-
co. cap. 3.*

De presbyteris qui sine orario occiduntur. Cap. X.

Vt presbyteri non vadant, nisi stola vel orario induti. Et si in itinere spoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur, non stola vestiti, simplici emendatione sua soluantur. Si autem cum stola, triplici.

*Ex cōcil. Triburi.
c. i. inter-
fuit rex
Arnul-
phus, ca.
26.*

De presbytero interfecto, ad quem eius compositio pertinet. Cap. XI.

Presbyteri interfecti compositio episcopo ad cuius parochiam pertinebat, soluat, ita videlicet, vt medietatem Virigeldi eius episcopus utilitatibus Ecclesie cui praesuit, tribuat, & alteram medietatem in elemosynam eius iuste dispertiat, quia nullus nobis eius haeres proximior videtur, quam ille qui ipsum domino sociauit.

*Ex eodē,
cap. 5.*

De illis qui per insidias homicidium perpetraverint. Cap. XII.

Siquis voluntariē, & per insidias hominem interfecerit, iugi penitentiae se submittat. Et si hoc publicē actum constat, si laicus est, à communionem orationum quinquennio remoueat. Post quinquēnium tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, nō

*Ex cōcil. Häneten,
cap. 2.*

T